



Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

14. Dies Decembris. Omnia bona terrena contempsit Christus; homò factus, ut contemnenda montraret. S. August. de catech. rud. cap. 22.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](#)

Decemb.

Tessera.

999

Patrem meriti, pro nobis pretii: ut tametsi Pater propter illam unam largiretur omnes favores, gratias, dona, beneficia, virtutes, ac sanctitatem, quæ largitus est Matri sui Filii; necdum fecisset Filio suo satis, plura amereretur illa lachrymula, majora posset exigere. Filius præmia: plura & homo posset petere munera. Quid ergo negabit Pater, si nos quidpiam vel petamus per illum, vel ille pro nobis? si Deus supra expectationem, contra opinionem, citra merita, supra modum, ad usque excessum est munificus: etiam cum homines judicant non debere conferri gratiam, & beneficium: sed potius inferri poenam, & supplicium: annè parcus & avarus erit, cum homines judicabunt debere, non tantum gratiam dari, sed velut debitum reddi? Si igitur habeas amicum tibi Filium: experieris tibi amicissimum & Patrem. Ad tuas preces accurret Filius, succurret Pater: uterque tibi erit amicus: non tantum ut donet liberalis, sed ut juvet fidelis: quod est argumentum sinceti amici, ut benè Poëta.

Hunc fidum dico, bene qui succurrit amico.

14. DIES DECEMBERIS.

Omnia bona terrena contempsit Christus; homo factus, ut contemnenda monstraret. *S. August. de catech. rud. cap. 22.*

Christus I.
est nobis
exemplar.

Non est scientia contemnda, scire, quæ sint contemptibilia: sicuti & virtus est maximæ estimanda, æstimare æstimabilia. Ideò Pater æternus nobis contulit beneficium inæstimabile dū ad nos misit suum Filiū, ut esset unus nobis Magister; qui nos doceret non modò præceptis,

Rrr 4

sed

1000 *Christiani Militis* Decemb.
sed exemplis, quæ sint contemnenda, quæ æstimanda.
In primis, nihil in terra æstimavit, quod est terrenum;
sprevit in corpore, quidquid est corporis; vilipendit
in tempore, quidquid est temporis, nihil duxit inter
mortales, quidquid est mortale: omnia bona terrena
despexit, ut suaderet esse despicienda, & omnia mala
terrena sustinuit, quæ præcipiebat sustinenda: unde
que in illis bonis quæreretur felicitas, neque in hisce
malis infelicitas timeretur. Illa igitur fecit, quibus ad
sequendum Deum, invitaremur: illa pertulit, quibus
ad sequendo Deo, deterrebamur. Imò passus est Christus,
antequam ut pati posset, viveret. Sic enim D. Paulinus. (a) *Ab initio saeculorum Christus in omnibus suis patitur: Ipse est enim initium, & finis, qui in Iesu velatur, in Evangelio revelatur: mirabilis semper, & patiens, & triumphans in sanctis suis Dominus. In Abel occisus à fratre: in Noe irrisus à filio, in Abraham peregrinatus, in Isaac oblatus, in Jacob famulatus, in Ioseph venditus, in Moyse expositus, & fugatus, in Prophetam apidatus, & sectus, in Apostolis, terra, marique saltuum, mulieris, ac variis beatorum Martyrum cruciatibus frequenter occisus.*

II. Ante Christi Adventum, homines omnes in mundo, in mundum, & ea quæ sunt mundi, toto naturæ in appetu inclinabant: Christus non habuit, ubi Caput suum reclinaret; mundum ingrediens, voluit nudus nasci, egrediens, nudus & mori. Homo vencissimo fastu inflatus, exaltabat se super omnia culmina terræ: Christus depresso se usque ad pedes Iudei. Homo quilibet, inter homines ambiebat esse primus hominum. Christus, inter homines factus est op.

(a) *Epist. ad Ursum 1.*

decemb.

Tessera.

1001

opprobrium hominum. Homo intemperanter ex-
petebat dignitatis excelsissimæ decus: Christus adeò
fecit se despicabilem, ut non esset ei species, neque
decor. Quidquid homo diligebat, Christus odit:
quidquid magni pendebat, Christus flocci fecit: fu-
git, quæ ille se stabatur, abjecit, quæ ille admisit. Si
nolis decipi mundi mendaciis, insistas, necesse est
Christi vestigiis. Quidquid enim fecit, disciplina no-
bis est faciendi: ipsius vita, omnibus vivendi est for-
ma, omnis ejus actio, agendi est norma. Appositè ad
rem nostram D. Chrysologus: (a) *Christus sicut ovis,*
Evolens, & tacens tondetur, ut tegat illam, quam Adam
*primus intulit nuditatem: velut agnus occiditur, ut pec-
catum totius mundi immolatus absolvat, ponit pro ovi-
bus animam suam, ut impleat & pietatem Pastores, &*
*curam. Tibi ergo Rex, tibi Sacerdos, tibi Pastor, tibi sa-
crificium, tibi ovis, tibi agnus, tibi totum, factus est, qui*
*fecerat totum. Et qui sibi nunquam, tibi toties immuta-
tur: propter te varias monstratur in formas, qui manet*
unica suæ Majestatis in forma.

III. Nihil Christus, per omnem vitam magis in-
tendebat, quam gloriam Patris. Hæc sit tibi exemplo
Christi, vivendi regula, maior Dei gloria. Aliud a-
gere, est ultima insania. Major enim est insanía,
quam si quæreres nivem ad te calefaciendum: aut
pietor usurparet ad pingendum serram fabri. Nihil
est tam præter rem, tam extra propositum, tam ab-
sonum, tibiq; inconveniens, quam cum studies, non
dico tuo honori, sed & utilitati, nisi hoc ipsum cedat
in gloriam Dei. Te perdis, si aliquid, quod non ce-
dat in Dei honorem, quæris. Non attendas, dum

Rrr 5

aliquid

(a) *Serm. 23.*

1002 *Christiani Militis* Dcccmb.
aliquid intendis ad voluptatem, an sit jueundum
difficultatem, an sit molestum, ad utilitatem, an sit
probosum, ad commoditatem, an sit acceprum,
non attendas, displiceat, an placeat, pungat, an uigat
efferat, an deprimat: sed unum tibi hoc semper pro-
pone, & à te inquire, an quod agis, vel omittis, in
Deo honorificum, & gloriosum. Infirmus, va-
letudinis recuperanda studiosus, non rejicit potionem
quia amara est, non sumit frigidam, quia delectat, sed
solùm attendit, an valetudini cōducat. Peregrinus
dum interrogat, ne aberret, semitam, sive dirigatur
ad dexteram, sive ad sinistram, sive ad Orientem,
sive ad Occidentem, sive ad alcensum montis, sive ad
descensum vallis, perinde est illi, dummodò illa di-
ducat ad viæ metam: sic te geras in hac vita, ut pere-
grinus in via. Oportet rebus sublunariis uti, non
frui: & sic uti, prout conferunt Divinæ Glorie. Hic
enīp̄ omnia, sunt media ad finem: non habent usum
propter se. Nihil sumas, quod ad suum finem non
dirigas, licet pretiosum sit, quia inutile erit, nihil re-
linquas, quod ad illum faciat, licet acerbum sit, qui
perniciosum erit. In Omnibus semper aspice Na-
men, & ex ejus aspectu accipies lumen in mente, ve-
nus in corde. Quia

Numinis aspectus, penetrat cum vulnero peccati.

15. DIES DECEMB.

Non dedignetur, quod fecit Christus, facere Chri-
stianus. *S. Augustinus tract. 58. in Joan.*